

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

X. Lemmata Antiquit: Francicarum

urn:nbn:de:bsz:31-102564

X. LEMMATA ANTIQVIT.
FRANCICARVM.

OMnes, quotquot de Francorum originibus tradunt, fateri necesse habent, eos primum trans Rhenum confedisse, atque ab his finibus egressos, regnum cis Rhenum auspicio ductuque Pharamundi condidisse. Idcirco Prosper horum temporum scriptor verax, et sine dubitatione admittendus, *Pharamundus*, inquit, *regnat in Francia, apud Scaligerum in thes. temp. p. 51. Consensit Prosper Pithecanus auctior castigatiorque.*

II. Contra eos constitutus est dux transrhenani limitis, de quo est apud *Trebellium Pollionem in Postumio II.* Haud dubie vero ea fuit occasio *Marchiarum*, quae limitum praefecturae erant, in Germania deinceps coeptarum.

III. Quo Rheni limite postea non recte defenso, ac saepe etiam imprudenter neglecto, Franci in Gallias impressionem fecerunt, et incursionibus Romanos tantisper fatigarunt, dum *Ripuarum*, quae ad Cisirhenanum II. pertinet, annuente Honorio, ipsis habitanda traderetur, quam deinde ereptam Aetius Romanorum ditioni rursus subiecit. *Prosper Vulgaris in Chron. ad an. 428.*

IV. Qui etsi trans Rhenum suos quoque reges habuerunt, primus tamen cis Rhenum regnavit Pharamundus, quod auctore Gregorio Turonense colligo *l. 2. hist. c. 9.* Is autem historiam suam perduxit ad annum Ch. DXCV. quod constat argumento *characterum*, quos in extremo libri X. ille ipse scriptor nobis suppeditavit.

V. Duo autem hic se offerunt in quibus omne huius rei momentum positum est: alterum affert migratio Francorum, alterum praebet descriptio illius loci, in quo Rex creatus est Pharamundus. Migratio innuitur verbis, *Tongriam transiisse*, id est, movisse in Germaniam Cisirhenanum, ubi iacet *Tongria*, quam sine ratione in *Toringia* trans Rhenum quaeras. Descriptio continetur sequentibus, *iuxta pagos vel civitates*. Pagi autem civitatesque sub illud tempus non alibi, quam in Germania Cisirhenana extabant, propterea quod ea sola tunc in pagos civitatesque descripta erat, et sola etiam iure Romano regebatur. Coetera Germania, quae trans Rhenum est, sub id tempus inculta prorsus barbaraque fuit, adeo ut ne Germaniae quidem nomine a Romanis appellaretur. Proinde *Toringiae*, trans Rhenum quippe sitae, non congruunt, quae tradit adducto loco *Turonensis*, ac nullo adeo negotio istud mendum, quod in *Epitome Francorum* atque *Aimoino* occurrit, veriori lectionis argumento corrigi potest.

VI. Sicut vero tempora ad imperiorum vicissitudines permultum possunt, ita dispar regum Francorum potestas, neque una et eadem regni illius amplitudo splendorque fuit. Equidem tempore Pharamundi Proceres dignitatem suam ita munitam atque septam tenuerunt, ut reges auctoritate prope aequarent. Significanter Ado Viennensis in Chronico ait. *Primum (Cisrhenanum) regem Pharamundum sibi postmodum statuunt (pacto potestatem conferunt) legibusque (Saliqvis) se subdunt. Legibus inquit, ut ostendat reges legibus fuisse alligatos, qui non arbitrato suo, sed ex earum praescripto cognoscant, statuunt, iudicent. Quam in sententiam legi possunt LL. Saliqvae t. 41. 57. 59. quibus regum potestas suis quasi cancellis est circumscripta.*

VII. Regum quoque successio Procerum iudicio pondus habuit, populi que assensus valuit, adeo ut Pharamundo vita functo, Clodium eius filium solenni ritu regem crearent. *Vid. epitome gestor. Franc. c. 5. Ado Viennensis in Chronico, aetat. 6. p. 149. Aimoinus eum successisse tradit, successionem iudicio eligentium temperatam innuens, l. 1 c. 4. de gest. Franc. Omnino autem Merovaei posterius ius successionis sibi confirmarunt, pleniorumque potestatem habuerunt. Agathias ex versione Christophori Personae Romani haec tradit. Franci quum optimum degant vitae genus, se ipsos imprimis et proximos quoque parvincunt, et ex parentibus filii regna suscipiunt. Vnde liquet ratio succedendi, quae ius primi acqvirentis transmittit ad liberos posterisque sexu habiles, ab eo tanquam stipite descendentes.*

VIII. Eadem successionis causa apud Carolingos fuit, quando eorum filii regna obvenerunt, testamentaque de his facta, non ad commendationem, sed ad successionem, quae ius primi regis retinet, veritatem valuerunt. Id vero tunc Optimatum honori datum est, ut supremas tabulas assensu suo comprobarent. *Annal. Franc. ad A. 806.*

IX. Inter primae stirpis reges, Francorum famam gloriamque maxime auxit Clodoveus, victis que apud Tolpiacum Alemannis, religionis Christianae studio pariter et belli successibus se nobilitavit, et finitimas regiones vel vetigales sibi fecit, vel in provinciam redegit, nec nisi unus Italiae rex Theodoricus his invidiosis rerum progresibus expergefactus est, reliquis tam secure dormitantibus, ut nulla esset tam magna monitionum vis, nullaque tam efficax propositi metus ratio, qua sopiti suscitarentur. Graves et letu dignae supersunt eius epistolae, quibus Gundebaldum et Hermanfridum Burgundiae et Toringiae reges ad suscipiendam eius rei curam adhortatur, *apud Cassiodorum Var. lib. 3. ep. 2. 3.*

X. Sed hi reges sive illecebris capti et irretiti, sive quodam fatali somno oppressi, instantium rationes non inibant, quo fiebat, ut bello, quod communibus viribus geri oportuit, impares fierent, periculumque culpa sua maximum

ximum adirent. Mox enim sensit Gundebaldus connubio Chrotildis ex fra-
tre neptis, causam belli a Clodovaeo quaesitam, quod eventus docuit, pla-
neque approbavit. *Vid. Epitome Francorum c. 12. 16. Turonensis l. 2. c. 28. 32.*
Vnde plus satis intelligi potest, Clodovaeum per necessitudines evertendi
Burgundionum regni occasionem captasse, nec spe deceptum Gundebaldo
postea victo, tributum pendendi conditionem tulisse, filioque eius Sigismundo
Burgundiam Cisararicam extorsisse, reliquam vero ex temporum opportu-
nitate filii occupandam reliquisse. *Vid. Turonensis l. 3. c. 5. et 6. Pontanus Heu-
terus rerum Burgund. lib. 1.* Hunc tamen cum in temporum rationibus saepe
deserimus, tum illud probare non possumus, quod affirmat, Chrotildem
pro Sigismundo Gundebaldi filio deprecata, ut in regni, quo carebat, possessionem
restitueretur. Etenim haec faemina, quemadmodum ob Christi
sacra in Franciam allata vehementer laudari debet, ita nimio ulciscendi
studio certe aliquid humani passa, maritum primo, et deinceps filios ad bellum
Burgundionum regibus inferendum concitavit. *Vid. Fredegarius Scholasticus
cap. 19. et 34. Turonensis l. 3. c. 6.* Simul hic notamus Adonem Viennensem,
qui conturbatis temporum rationibus pleraque de Francis Burgundionibus
que tradit, quae ex Prospero Scriptore multo antiquiore licet emendare. Per
Sicambriam autem, cuius ibidem meminit, non Troianorum illa, ut Tu-
ronensis fabulatur, sed transrhenana Teutonum, omni iure est intelligen-
da. Quae fuit causa Remigio, cur Clodovaeum vocaret Sicambrum, cum
eum sacro fonte tingeret, Christoque initiaret, *in epitom. Francor. cap. 15. et
Turonens. l. 2. c. 31.* Neque continuo existimandum est, rerum origines ex
inde esse petendas, quod uno nomine appellantur, in quo genere Paulus Dia-
conus aliquanto cautius versatus est, quum de Ansegiso Francorum prae fectore
ita tradidit, ut facile queat intelligi, eum non ab Anchise Troianorum fuisse
oriundum, etsi ab eo appellatum fuisse, non tam sua, quam aliorum opinio-
ne refert, *lib. 6. de gestis Langob. cap. 23.* Is vero vixit etiam inter Francos,
Caroloque a Francis Austrasiis orto et huius nominis magno, aliquandiu fa-
miliariter usus est, et res originesque Francorum circumspicius expendit.
Ac multo ante Procopius eos sine adiectione Germanos appellare consuevit,
quos alibi suo nomine et proprio vocabulo Francos appellavit, tamque pla-
ne et dilucide hanc materiam explicavit, ut ad investigandas huius antiqui-
tatis rationes nullis certe commentis in posterum egeamus. *Οἱ δὲ Φεράγγοι
ὄντοι, inquit, γερμανοὶ μὲν τὸ παλαιὸν αἰνομαζόντο. Et ibidem aliquibus inter-
iectis ait. Αἰμῶναι τε εἰ ταῦτα, ἃ δὴ γερμανοὶ τὸ παλαιὸν ἀκηντο βάρεβαργγῆνθ, ἢ
πολλὰ λόγῳ τὸ κατ' ἀρχαῖς αἴτιον, οἱ νῦν Φεράγγοι καλεῖνται. Γοτθικῶν.* Quae cum
idonea ad hanc causam, tum ita manifesta et aperta sunt, ut qui haec non in-
telli-

telligat, a literarum elegantia alienior fit, qui autem, cum intellexerit, negare pertendat, rixosus et pertinax, prorsusque illiberalis habeatur.

XI. Amplius id probo, quoniam non multo post commemorat Procopius, Germanos cum Burgundionibus manus conseruisse. Cuius autem gentis Germani isti fuerint, ipse explicat, luculenterque designat. Opportuna hic & consentiens Casiodori narratio est l. 8. *Var. ep.* 10. Sub id tempus vero Burgundionum rex fuit Gundebaldus, socius adiutorque antea Clodovaei contra VVifigothos, ut innuit *Isidorus Hispalensis Chron. Goth. ERA DXLV.*

XII. Regnum illud VVifigothicum in Gallia Narbonensi conditum octoginta octo annis stetit, postquam a Clodovaeo eversum est, quod abunde confirmat Hispalensis. Duo autem hic se offerunt *characteres*, quorum alter ex rationibus temporum sumitur, quem ERA Hispanica apud Isidorum designat: alter ad regionum, quas Geographia docet, descriptionem pertinet, ut fines Gothiae Narbonensis intelligantur. Dabo Sigebertum Gemblacensem, qui Burgundiam Gothiamque tanquam regiones Galliae coniungit, quatenus ea quidem Galliae Narbonensis ambitu continebatur, *ad an. 1109.* Ac Gothiae huius Gallicae praecipua urbs, regni que sedes fuit Tolosa, urbs antiqua, et collectis tunc Gothorum opibus clara, unde regnum quoque istud appellatum est Tolosanum. Iamque suo aevō scripsit Ammianus Marcellinus. *In Narbonensi (Gallia) clusa (inclusa) est Narbona et Tolosa, quae principatum urbium tenent, lib. XV.* Isidorus Hispalensis subministrat annum destructi Tolosani regni, quem signavit ERA DXXXII: quo tempore in Gothia Narbonensi regnabat Alaricus, a Germanis (*Francis*) in congressu victus, ut scribit Procopius *Goth. 1. Francorum epitomastes* praelium Vocladense ad interitum Alarici fatale nominavit, *c. 17. Turonensis l. 2. c. 37.* Ad postremum *character* iuris publici est in marchionibus Gothiae, de quibus multa dicere non fert ratio huius instituti.

XIII. Inter causas belli Alarico inferendi religio imprimis fuit, quod Clodovaei exemplum tamen est eiusmodi, ut nostro assensu probari non possit, quandoquidem religio non dat ius inferendi, sed defendendi belli, sive, ut loquuntur in Scholis, ius belli *defensivi*. Contra et sensit et dixit Clodovaeus. *Valde moleste fero, quod hi Arriani (Gothi) partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, et superatis redigamus terram in ditionem nostram, apud Turonensem praedicto loco.* Utcunque autem speciosus hic praetextus fuit, nec Remigio, ut ex epistolis ad Clodovaeum scriptis colligo, displicuit, Proceribusque pariter et populo Francorum probatus est, exemplumque deinceps nocuit, et Carolum M. insuper hoc pietatis simulacrum decepit: tamen hic belli titulus non fuit iustus, propterea quod VVifigothi aequae in Gallia advenae erant ac Franci, eodem acquirendi et possidendi titulo

lo nitebantur, nec alteris in alteros ius erat, quoniam Romani, quorum antea hac Gallia fuerat, utrisque portiones occupatas reliquerant, et bello pactio- nibusque iure suo cesserant. Alioqui religio omnino ad defensionem valet, et ratio tuendae libertatis postulat, ut propugnatio, vel vitae fortunarum- que omnium discrimine, pro ea suscipiatur. Si enim pro libertate arma su- mere divinum humanumque ius concedit, multo magis concedit pro ea li- bertate, qua nulla in rebus humanis sanctior potiorque est, ut certe illa ipsa aestimatur, qua cum Deo coniungimur, quae libertas *Conscientiae* vocatur. Loquimur autem de iis, qui in tali statu sunt, in quo ius armorum, saltem defensionis causa, lege aut pacto civibus conceditur. Itaque extra hanc quaestionem sunt, qui ita ditioni imperantis subiecti sunt, ut nullam eius- modi libertatem pacto, aut quavis alia honesta ratione sibi reservarint, si- neque exceptione privilegiorum ad parendum sese obligarint. Etenim his rebus fit, ut non sint in statu, veluti vulgo dicunt, *moraliter* habili ad su- menda arma, quatenus id quod naturaliter conceditur, in statu *legali*, velut obiecto obice, mutatur atque impeditur. Hulus autem conditionis homi- nes, quum non in resistendo, certe in emigrando praesidium habent, qui priscis temporibus, quibus Tyranni vexabant ecclesias, crudeliterque vastab- ant, aut latebant prudenter, aut summa cum ratione fugiebant.

XIV. Hoc autem eo a me susceptum est, ut ostendam militiae sacrae scriptores ad hunc regulam esse dirigendos, qui cum religionis causam et *sepulchri sacri liberationem*, bello in Palaestinam suscepto praefereunt, tum prope a barbaris belli titulo et diuturna possessione se tuentibus, irrisi fuerunt. Hinc *Curbaram* unus ex Sultani praefectis Petro Eremitae et Herluino Palaes- tinam Christianis reddendam flagitantibus respondit, se suamque gentem Deum pariter Christianorum et Christianos averfari: mirari autem, cur Chri- stiani terram, quam effoeminatis gentibus abstulissent, suam nominent, repo- scereque audent. *V. Gesta Francor. p. 20. Nihil meliores sunt Urbani Pont. rationes, ibidem a principio: Conf. Concilium Claraemontanum, A. 1095. habitum et Matthaeus Paris in VWilhelmo II. Conf. Helmoldus Chr. Slav. lib. 1. cap. 31. Novissime de militia sacra scripsit Ioannes Molanus, ejusque initium à Clodovaeo duxit. Pudendo autem postea exemplo Gaspar Sciopius inde occasionem sumfit scri- bendi classicum belli sacri, odio, ut dicere consuevit, erga Reformatos, sed revera non aequiori animo in Protestantes, qui ex praescripto Aug. Confess. emendata sacra in- tegra, nec mutata retinuerunt.*

XV. Bella Clodovaei, quibus potentiam firmavit, breviter attingit Ger- vafius Tiberiensis *de regno Francorum et eius ortu p. 53.* et pleraque ac insigni- ora omisit, quem nullo negotio, ex scriptoribus Francorum suppleamus. Ego ea omnia annorum intervallis distincta referam, aca regno Svesfionum or- diar

diar, quod victo A. 487. Siagrius, in provinciam redegit, et hoc primum fortunae fortitudinisque auspiciū praebuit, *Gest. Franc. Epitom. c. 9. ubi harum, quas conficio, rationum haud dubium est fundamentum. Conf. Turonens. l. 2. c. 27.* Hinc a Svesfionibus ad Toringos conversus, regnum id A. 492. re-ctigale fecit, documento *characteris*, qui extat in *Epit. Franc. c. 10. et Turon. l. 2. c. 27.* Congruit autem huic instituto, ut verba Turonensis commode explicentur, quippe quae nihil praeterquam ius tributarium, Clodovaeo in Toringia acquisitum docent. Serius enim pro ea parte, qua Francis cessit, provincia facta est, *apud eandem lib. 3. cap. 7.* Quae Toringiae conversio incidit in annum 524. prout quidem supputat *Sigebertus Gemblacensis in Chron. ad d. an.* De industria dico, pro ea parte, qua Francis cessit: Pars enim quoque in Saxonum ditionem redacta est ut probant *Eclogae*, quae ex Eginhardo supersunt apud *Adamum Bremensem, l. 1. hist. eccles. cap. 4.* Laxe ergo nimis et per exuperationem *Turonensis* scripsit, Clodovaeum, Francorum regem, Thuringos suae ditioni subiecisse. Modus enim interpretandi non potest sibi esse consentiens, nisi quemadmodum iurisperiti suas leges, ita nos antiquitatum capita, ponderatis collatisque diligenti lectione monumentis, temporum eventorumque rationes accurate ineamus. *Conf. Turon. lib. 2. c. 27. et lib. 3. c. 7. Sigebertus ad an. 524.*

XVI. Postea ad Alemannos spectabat, quos arduo ac difficili praelio apud Tulpiacum commisso subegit, quos priusquam vinceret, voti religione se obstrinxit, siquidem Deus, quem coniux sua profiteretur, hoc beneficium sibi praestaturus esset, ut feroces superbiqve hostes ductu suo vincerentur, *apud Turonens. lib. 2. cap. 30. et Aimonius lib. 1. cap. 15.* Accidit vero hoc anno post natalem Servatoris quadringentesimo, nonagesimo sexto, quem et felix armorum successus et religio salutaris insignivit, et denique occasionem titulumque Christianissimi dedit. Multum ad constituendas huius propositi rationes attulit Clothildis, foemina, si ulciscendi cupiditatem excipias, recti amans et pia, de qua ita Aimoinus. *Haec fidelis infideli coniuncta viro, eum ad fidem perducere conabatur, lib. 1. ep. 14.* Nec multo post in praelii discrimine, eius dicta monitionesque identidem in animo reputabat, *lib. eodem cap. 15.* Cum enim iam pugnans rebus suis plane diffideret, in hanc sententiam locutus fertur. *Christe potentissime Deus, quem Chrotildis coniux mea colit pura mente, trophaeum meae tibi voveo fidei, tribuas si his ex hostibus triumphum victoriae, apud eundem d. 1.* Verbis paulo alius, sensu eodem enarravit Antistes Turonensis *l. 2. c. 39.* Non hic omiserim epistolam Theodorici Ostrothorum Regis, quam Clodovaeo, quem unum inter omnes finitimos maxime suspectum formidabilemque habuit, post eam victoriam perscripsit, *apud Gausiod. Var. lib. 2. ep. 41.* Fuit autem tunc sacris initiatus Clodovaeus,

argu-

argumento gentilitatis, quam Cassiodorus in exemplum comparationemque mansuetudinis Christianae refert. Conturbatae autem ibi sunt rationes temporum, cum epistola haec in A. 508. reiiicitur a Fornerio, Hermanni Contracti auctoritate nixo. Nam anno regni quinto decimo Clodovaeus pugnavit cum Alemannis, ut testis locuples est Hincmarus in *vita S. Remigii*, Conf. *Ado in Chr. p. 161*. Anno autem 481. regnum suscepit, atque adeo secundum accuratas temporum rationes annus 496. respondet. Adhaec congruit iste annus rebus et eventis aliis, quae tanti momenti ponderisque sunt, ut omnino me de sententia Hermanni Contracti deducant. Haud vero aberraverim, si dixerò, revixisse tunc in Francia Constantinum M. quando in Clodovaei exemplum coeteri Franci intuebantur, et ducem dominumque auspicate sequebantur.

XVII. Oppressis Alemannis, Burgundionibus bellum intulit, regnumque hoc fulminis more percurrens, Gundebaldum ad accipiendas vectigalis regni condiciones adegit, ac deinceps filium eius Sigismundum parte Burgundiae, quae cis Ararim iacet, multavit. *V. Turon. lib. 2. cap. 32. Vignier. in Chron. Burg. ad an. 502. 508. et 509.* Alienus hic locus est Cassiodori *Var. lib. XI. in commendatione sui ipsius, qui mea opinione lucem accipit ex lib. 8. ep. 10. et scriptore vitae Caesaris Cypriano*. At post Clodovaei decessum, filii eius maiore impetu in Burgundiam tendebant, et anno 526. afflictis Burgundionum rebus, priscum regum familiam debebant, regnumque in potestatem ditionemque suam redigebant, *Vid. Turon. l. 3. c. 5. et 6.* In quo regno LL. Gundebaldicae, quae et Gundebadae dici solent, ad memoriam posteritatis insignes sunt, in quibus Romani appellantur Galli indigenae, qui Romano iure utebantur; barbari autem agri cultores, qui inter Romanos, quoad Gallia Romanis imperatoribus parebat, impari conditione degebant, postea autem, quam Franci depulsis Roman. Imp. praesidiis, in Gallia regnabant, meliori loco esse coeperunt, Romanisque ex aequo, quin imo et praelati fuerunt. *Vid. LL. Burgundionum et LL. Saliquae, speciatim Saliquae t. XLIII. 1. et 8.* Ex dictis, opinor, explicari potest locus apud Turonensem *lib. 2. c. 33. Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimeret.* Pertinetque huc, quod scriptum est in *congesto Traditionum Boioar. Praefatus Dux (Theodo) tradidit Romanos, et eorum tributales mansos* (Hubas (a) sequiori aevo appellarunt.)

XVIII. Aquitaniam, sine qua Clodovaeus regni fines tutari non poterat, anno 507. occupavit, (b) victorque reversus Turonos adiit, ac inde Lutetiam perrexit, regni que Francogalliae sedem anno 508. ibi collocavit, quae

X

con-

(a) De differentiis *Hubarum* vid. Coccius in *Dagob. p. 178.*

(b) Hanc postea eripuit Eudo, et vindicavit Carolus Martellus, *Busfier. hist. Fr. lib. 3. p. 206. 218, Conf. Iedoc. Sincer. Itin. append. cap. 11.*

continua, quamlibet diversae stirpis, successorum serie ad haec tempora usque permanfit *V. Turonensis lib. 2. cap. 37. et 38. Adu Viennensis p. 165. et 169. Aimonius lib. 1. c. 16.*

XIX. Cum tot tantaque pericula sustinisset, et superiores etiam difficultates omnes composuisset, pauci, nec magnae potentiae reguli, Agrippinensis et Cameracensis delendi restabant, quorum alterum per insidias occidendum curavit, alterum armis devictum captumque securi in capite eius defixa, interfecit. *Turonensis lib. 2. cap. 42. et 43.*

XX. Iam tota fere Gallia, praeter Arelatensem, Masfiliensem, Narbonensem et Novempopulanam, potiebatur Clodovaeus, quum per codicillos, ab Anastasio Graeco Romano imperatore missos, COS. et Augustus ritu memorabili ac solenni esset renunciatus, *apud Turonensem l. 2. c. 38. et apud Adonem Viennensem in Chron. p. 169. Qui consulatus altius aliquid excellent usque denotavit, quam is quidem communiter denotare solet. Primo, quia cum titulo Augusti, qui nemini COSS. attributus est, coniungitur, Aimonius lib. 1. c. 22. Deinde, quia cum utroque titulo allata sunt Clodovaeo regni insignia, tunica blatea (purpurea) chlamys et diadema, Turonensis d. l. et epit. gest. Franc. cap. 17. Tum quia Fredegarius eminentiorem dignitatem indicavit, cap. 110. Ad postremum, quia eventus comprobavit, Patriatu hoc Romano Francos posthac viam sibi munivisse, ad patrocinium (advocatum) et supremum Romae ac totius Italiae dominium (acquirendum, *V. Ann. Franc. Pithocan. ad ann. 801. Monachus Engolimensis ex recensione eadem pag. 233. Vbi nomine patricii character sublimioris dignitatis significanter est expressus, siquidem veram accuratamque interpretandi rationem inimus.**

XXI. Multa praeterea Clodovaei merita in rempublicam Sacram extant, praesertim quum bello Gothico defunctus, iam maiorem Galliae partem in sua potestate tenebat. Quod, sicut plerique tradunt, Remigius, cum de ultimis cogitaret ac disponderet, praeclare testatum fecit, atque his conceptis verbis plane et luculenter descripsit. *Cum duabus villis, inquit, quas Ludovicus (Clodovaeus) a me sacro baptismatis fonte susceptus, amore nominis mei, Bischofesheim sua lingua vocatis, mihi tradidit. Quibus duo indicantur, quorum alterum linguae Teutonicae usus Francorum origines a Teutonica gente arcessendas commonstrat, alterum eiusmodi est, ut ostendat, Clodovaeum, quamlibet a vero patefactoque Deo alienum, beneficia ipsi tribuisse, mansuetudinisque et liberalitatis exemplum regibus dignum praebuisse. Quod utrum fecerit Clodovaeus integritate et sanctitate Remigii permotus, an ab uxore Chrotilde persuasus, an ad conciliandos per eum indigenarum animos civili instituto adductus, meum non est definire. Mox autem Remigius, interiectis quibusdam, ipse affirmat, Clodovaeum nullo veri*

veri Dei sensu praeditum sibi donasse, cum adhuc paganus Deum ignoraret ad proprium tradidisse. V. Testamentum Remigii apud Flodoardum. Quod tamen eiusmodi est, ut Remigii temporibus non congruat, et fabula seculi IX. a simplicitate aevi Merovingici discernatur: praeterea a modestia Remigii abhorret, et ritum inaugurationis regiae a Merovingis alienum complectitur, omniqve iure in suspicionem confictae antiquitatis vocatur. Refert hic nostra, ut conferantur *Turonensis lib. 2. cap. 31. et Aimonius lib. 1. c. 16.* Quare aliud testamentum eruit Iohannes Bollandus, nec multo post emisit Chiffletius, de quo alibi sententiam dicam.

XXII. Praeterquam autem quod religionem prope oppressum in libertatem vindicavit, sacerdotiaqve et sodalitates religiosas beneficiis ornavit, id quoque vel imprimis ad gloriam veteris Clodovaei profapiae spectat, quod monasteria, quae dicuntur, *exempta*, posteris ipsius originem certe in Francia acceptam ferant. Quod docent tabulae Clodovaei II. Clotharii III. quibus haec talia exemptionis privilegia perliberaliter sunt concessa, quorum multa ex tenebris eruit Hieronymus Bignonius, Vir, cum viveret, inter omnes populares facile doctissimus. (c) Dicuntur autem *exempta*, quod Pontifici, nullo interiecto, obnoxia sint, de quibus copiose disseruit *Bernhardus Abbas Clavevallensis* in eruditis et pietatis pariter prudentiaqve causa legendis libris *de consideratione ad Eugenium Pontificem*. Cum autem mihi in mentem venit, quam obrem pleraqve monasteria iuri et potestati Episcoporum substracta fuerint, tum recordor, duo fuisse cumprimis, quae tali instituto causam occasionemqve darent. Primo enim pars religionis ultimorum regum erat, ut fana aedificarent, monasteriaqve cumularent, rati, si quidvis admisissent, hoc modo expiatum iri. Documento fit Sigismundus Burgundionum rex non Arrianus, qui cum filii sanguine manus imbuisset, pro superstitione illorum temporum noxae isti expiandae suffecturum putabat, si Divis Agaunensibus extractum ab se monasterium dicaret, vid. *Turonens l. 3. c. 5. et Aimonius lib. 2. cap. 4.* Ex eadem causa tot *donationum, dotationum traditionumqve* formulae et instrumenta passim, maxime in Francorum monumentis extant, (d) Deinde fanorum conditores id dabant amori memoriaeqve locorum, quae religiosis sodalitatibus designata sunt, ut monasteriis ibi ab se institutis privilegium libertatis ab Romano Pontifice impertiretur. Docent hoc tabulae *exemptionum*, quae petentibus regibus, tanquam *monasteriorum fundatoribus* privilegium hoc datum concessumve testantur. Superiori seculo in Conci-

X 2

lio

- (c) Vsu veterum Francorum huiusmodi privilegium dici solitum est *praeceptum immunitatis*. V. Aimonius lib. 3. c. 2.
 (d) Regum liberalitatem multi et opulenti homines secuti sunt, ut ecclesias quoque heredes instituerent, V. *Turonens. lib. 7. cap. 7.*

no Rothomagenfi statutum decretumque est, ut monasteria hoc privilegio nixa, non tenerentur interesse conciliis, nisi ad illuc veniendum iure consuetudineque obligarentur, prout Gregorius XIII. qui tunc Romanae sedis praefuit, dubitantibus super ea re Patribus respondit. *V. acta huius Concilii 1581. habiti.* Illud vero laudi tribuendum est monasteriis, quod eruditionis monumenta conservarunt, et multis insuper extruendis amplificandisque urbibus occasionem dederunt, ut res actaque prisca Gallo Belgica passim ostendunt, et nostrae quoque gentis antiquitates confirmant. (e)

XXIII. Simul et a Christianis Francorum regibus coeptae sunt decimae, quarum primordia alii ab ultimis barbarae et non Christianae Germaniae temporibus capiunt, speciosoque titulo defendunt. Inter quos est Iustus Lipsius, vir, si quisquam alius, Romanae antiquitatis peritissimus, qui Taciti locum in hanc sententiam adducit. Extat is in libro de situ et mor. Germanorum cap. 15. Nihil vero ibi proditum est de decimis, neque ullo argumento id conficiat, quando ratio verborum postulat, ut longe diversum conferendi genus intelligatur, mosque colligendi decimas, ad alia tempora referatur. De cetero sequiorum temporum liberalitas sicut alia multa, ita et ius exigendi decimas *Monasteriis* concessit, quorum bene multa in VVestphalia sunt, quae etiamnum hoc iure utuntur. Spectatque huc sanctio Friderici II. Imp. *V. Constituit. Sicul. lib. 1. tit. 6.* Nihil vero hic addam de immunitate tributorum benignitate Childeberti *Monasteriis* concessa, apud *Turonensem lib. 10. cap. 7.*

XXIV. Moribus ceteroquae Francorum, quos *Merovingos* vocant, nothorum successio valuit, quod documento est, eos perinde, ac reliquos Germaniae populos, Romanis legibus non fuisse usos. Exemplum est multo luculentissimum in Theoderico Austrasiae rege, quem Clodovaeus M. non suscepit ex toto legitimo, neque tamen id impedivit, quo minus regnum Franciae Orientalis ei tanquam natu maximo attribueretur. Itaque *Turonensis ex Turonense explicandus. l. 2. c. 28. cum l. 3. c. 1. collat.* Illud autem postero tempore sensim mutatum est, quum Franci disciplinis moribusque magis exculti, non eodem deinceps loco numeroque legitimos et naturales habuerunt. *Vid. Aimoinus lib. 4. cap. 1. et Eginbartus de vita Kar. M. cap. 33.* Atque ex hoc capite Hugo Capetus regni Francogalliae inuasor, malaque fidei possessor arguitur, quod cum is neque virilis, neque sequioris sexus ratione ex legitima Carolovingorum stirpe descenderet, tum regnum nihilominus Franciae Carolo Duci Lotharingiae praeripuisset, eumque iure agnationis frau-

(e) Etiam monasteria quondam custodiae serviebant, V. Turon, l. 5. cap. 14. Annal. Fr. ad an. 752. 222.

fraudasset, et nulla primi acqvirentis ratione habita, indigne insolenterqve usurpasset, V. Sigeb. Gemblacensis ad an. 987. 988.

XXV. Saepe etiam antiquo Francorum instituto usu veniebat, quod regnum per signum militare hastamqve tradebatur, atqve his modis dominium eius transferebatur. Proinde Guntheramnus, tradita Childeberto hasta, dixit. *Hoc est indicium, quod tibi omne regnum meum tradido, apud Turonensem lib. 7. cap. 33. conf. Aimoinus lib. 3. cap. 68.* Quae fictio iuris in LL. Saliqvis identidem occurrit, et festucae signo denotatur. Hinc orta est formula, IN LAISVM IACTARE, LL. Saliq. t. 48. (f) Ad haec regna suscepturi Clypeo quoque altius tollebantur, quod eo spectabat, ut novi reges hoc pacto in possessionem mitterentur, quasiqve inaugurarentur. Hinc Turonensis, *plaudentes, inquit, tam palmis quam vocibus eum clypeo evelsum super se regem constituunt, lib. 2. c. 40. Vid. et Aimoinus lib. 3. cap. 61.* Nulla enim tunc regum inauguratio ritu *unctionis* peragebatur, atqve hinc est, quod apud Graeco-Romanos veteri atqve usitato more dicebatur βασιλεύς τῆς κερταρῆς καθεδρῆς.

XXVI. In his cogitationibus defixo periunctandam mihi memoriam renovat adoptio, cuius exemplum Turonensis ad nos transmisit, eximioqve et fide digno testimonio confirmavit, quando narrat, Childebertum his verbis adoptasse Theodebertum. *Filios non habeo, te tanquam filium habere desidero, lib. 3. cap. 34.* Quam in sententiam interpretatur hanc formulam *Aimoinus lib. 3. c. 28.* Alioqui per arma fieri consuevit adoptio, praesertim inter gentes barbaras, argumento regis Herulorum hunc in modum adoptati, *apud Casiodorum Var. lib. 4. ep. 2.*

XXVII. In extremo fert occasio, ut aliquid de suscepto arbitri munere adiungam, quo ita perfunctus est Theodericus, Ostrogothorum in Italia rex, ut Francos inter Gothosque amicitia conciliaretur. Ratio compositionis haec fuit, ut legatus Clodovaei tantum pecuniae in satisfactionem acciperet, quantum hastae a terra in altum sublatae longitudinem exaequaret, *apud Aimoinum lib. 1. cap. 20.* Providebat Theodericus, quorsum evasura esset aemuli regis acerbitas, proque rerum Gothicarum statu consilia capiebat, ac sine monitore etiam intelligebat facileqve iudicabat, haud longissime ab exitio abesse Alaricum, quem servare quidem cupiebat, tueri dumque suscipiebat, atqve ut iactura opum se regniqve securitatem redimeret, hortabatur. Sed iam tum veteris regum finitimorum, ad quos id

X 3

pertu-

(f) Misio in possessionem per festucae Symbolum dicta est ADFATOMIA. Simul hoc cursim addicio de tintinnabulis Francorum, maxime Austrasiorum, quorum usus erat in re rustica, et finis pertinebat ad equos in pascuis dignoscendos. Vid. Aimoinus lib. 3. cap. 82.

pertinebat, animos occupaverat, fatoque ita datum videri poterat, ut Clodovaeus toti Galliae imperaret.

XI. HIST. VET. REGNI P. Q. BURGVNDIONVM.

CAPVT I.

Burgundiones origine Germani, et gente Vandali (a) veteres primasque sedes apud mare habuerunt, ac inde, et nominatim a finu Codano profecti, regiones (b) prisca Romanorum imperii inſtarunt, et plerasque etiam in poteſtatem ditionemque ſuam redegerunt.

(a) *Vandalos ex Germania, Venedos ex Sarmatia egreſſos origo, migrationes, lingua et mores, tanquam Aborigines et advenas diſtingunt, Iohannes Neuvvaldus cap. 17. de antiquis VVeſtphaliae colonis, et diſſertatio noſtra 1670. de rebus Slavicis inſtituta. Adamus Brem. Svevorum confines nominat, H. E. lib. 1. cap. 3. Hinc corrigendus eſt Ammianus Marcellinus, qui lib. XXIIIX. ſequentia ſcripſit: ſobolem ſe eſſe Romanam Burgundii ſciunt. Quod quomodo ex ſententia Burgundionum ſcribere potuerit Marcellinus, cum ii non potuerint neſcire, ſe ab Germanis eſſe oriundos, miratu dignum eſſet, niſi alienae originis iactatione viam pariter ad Valentinianni amicitiam, atque ad delendos ſuos hoſtes quaeruiſſent. Conſentit Iohannes Tilius, et iactantiae, non veritati tribuit, quum ſcribit: Burgundiones quoque, qui veri fuerunt Vandali, ſe a Romanis iactabant proveniſſe, de reb. Gall. l. 1. Sed poſt Albertum Cranzium, Virum ceteroquæ de patria antiquitate inſigniter meritum, confundit praeclarus annalium Burgundicorum ſcriptor Guilielmus Paradiniſ, lib. 1. pag. 4. edit. Lugdun. Proinde quum uſu curiae titulus Regis Principisque Vandalorum adſcribitur, accurato civiliſt historiae argumento denotantur regnum principatusque Venedorum. Ac illum quidem titulum primus ex Cimbro-Danicis regibus ſumſit tertio decimo ſeculo VValdemarus II. qui Friderici II. imp. conſeſſu Regem Slavorum ſe ſcripſit: quo ſpectat diploma Metenſe VValdemaro II. datum, apud Veſfeldium Chron. pag. 180. edit. fol. ubi refert, VValdemarum cum Canuto XXIIIX. expeditiones contra Slavos ſuſcepſiſſe, p. 161. Obotritorum regis titulus quoque iam ante VValdemarum attributus eſt Canuto, Helmold. lib. 1. Chr. Slav. c. 49. ex eoque Cranzius, et ex utroque Pontanus hiſt. rer. Dan. lib. V. p. 207. Inter Reges Sveo-Gothicos primus a Venedorum gente titulum ſumſit Guſtavus I. quod alibi conſeſſum eſt. Id vero per ſe intelligitur, per Vandalos laxa minusque propria interpretatione interdum deſignatos eſſe Normannos; cuius rei indicio ſunt tabulae*

Bru-